

f) Etiam libri Symbolici ingenuam interpretationis libertatem coercere nequeunt. Vid. *Doederleinii* observationes morales de LL. SS. Ienae 1789. S. In longe alia abit differens *de abusu Criticae in causis religionis* Laubruffel, Loiolita Argentoratensis.

§ 21.

Qui sensus igitur clare per grammaticas leges tribuendus est verbis, non debet reiici propter rationes a rebus ductas: fieret enim interpretatio incerta: sed in libris humanis, si res et ratio manifesta repugnat, agnoscitur vel vitium scripturae, vel error scriptoris: in libris diuinis, si non consentit vulgatis hominum notionibus, ingenii humani et rationis imbecillitas: si historiae clare aduersatur, conciliatio quaerenda, nec facile, sine bonis libris, correctio tentanda. In quo admirandum est, plus reuerentiae tribui libris humanis, quam diuinis. Nam in illis, de antiquis loquimur, cum aliquid eiusmodi incidit, correctio aut conciliatio quaeritur, velut *ἀναμάχητος* fuerint: in his occasio arripitur carpendi aut peruertendi vel scriptores, vel doctrinam ipsam.

§ 22.

Atque etiam comparatio rationum debet esse eiusmodi, vt maior vis tribuatur grammaticis, quam dogmaticis: propterea, quod aliquid potest esse verum, ac veritati maxime con-

con-